

Orientis Concilium. Evasit tamen postea Œcumenicum, hanc illi dignitatem & auctoritatem Damaso Papa, totaque Occidentali Ecclesia tributibus, & in eandem etiam Orientali Ecclesia fidei expositionem, Hæresumque damnationem conspirantibus. (a)

(a) Ballerini fratres in dissertatione prævia ad tom. 3. operum S. Leonis Magni censent Concilium hoc Constantinopolitanum I. ante tempora Concilii Chalcedonensis non tantum apud Latinos, sed neque apud Græcos inter universalis neque admissum, neque approbatum fuisse; idque ex eo ducunt, quod ejus symbolum in Chalcedonensi primum recitatum legatur, cum non extet in Ephesino I. neque apud Patres Græcos, qui Chalcedonense præcesserunt tempore. Nemo etiam in Eutychem authoritatem Constantinopolitani urbis, ex quo tamen hæretico negotium confici potuisset. Insuper Eusebius Dorilæi Episcopus, Eutychem accusator acerrimus, solius Nicænæ & Ephesinæ synodi sectatorem se professus est in Synodo Constantinopolitana anni 448., & præterit Constantinopolitanum primum; secundumque inter generalia locum Ephesino tribuit. Eundemque secundum locum Ephesino dedit ipse Eutychem in Pseudosynodo Ephesina. Ex his ergo conficitur Constantinopolitanam œcumenicam Synodum non nisi post Chalcedonense Concilium inter Œcumenica Concilia sedem obtinuisse. Postquam vero Patres Chalcedonenses symbolum Constant. admiserunt & recitarunt, tunc tandem mos obtinuit, ut inter Œcumenica Constant. I. accenseretur. Attamen hæc vera sunt tantummodo de simbolo, non vero de Canonibus, quos nondum atate sua receptos S. Gregorius epist. 34. lib. 6. restatus est his verbis: *Canonibus vel gesta synodi illius Romana Ecclesia hætenus non habet nec accepit*; in hoc autem eandem synodum accepit Romana Ecclesia, quod est contra Macedonium definitum, nempe symbolum fidei.

D. Edidit ne aliquos Canones Synodus Generalis Constantinopolitana prima?

M. Tres dumtaxat Canones in Concilio Generali Constantinopolitano primo conditos fuisse, post Dionysium Exiguum probabilis censent viri eruditi. In primo Canone statuit Sancta Synodus, ut ea, quæ in Concilio Nicæno a 318. Patribus constituta sunt, fixa, immotaque permaneant, & insuper anathemate percussit Arianos, Eunomianos, Macedonianos, Sabellianos, Photinianos, Marcellianos, & Apollinaristas. In secundo Canone præcipit Sancta Synodus, ut sua quæque Ecclesiæ servent Privilegia sibi per Canones Nicænos tributa, suasque ita gubernent Ecclesiæ Episcopi, ut non accedant ad alias. In tertio Canone concessus est Episcopo Constantinopolitano secundus post Romanum Pontificem in Ecclesia locus. Sed utrum hoc Canone Patriarchica dignitas, & jurisdictio in Thraciam Ponticam, Asianamque Diocesibus Episcopo Constantinopolitano collata fuerit? an secundus tantummodo honoris locus? lis adhuc sub Judice est,

de qua necdum convenit inter paritos, quorum hinc inde conjecturas adducere nimis longum esset. Duo hic tantum breviter observabo. Primo, perperam hunc Canonem tertium explodi a Baronio ut commentitium, cum tamen antiqui omnes Codices, & quotquot sunt Collectiones antiquæ, & mediæ, & postremæ ætatis Canonem illum tertium Concilii Constantinopolitani exhibeant, ac præterea, Socrates lib. 5. Hist. Eccl. cap. 8. Sozomenus lib. 7. cap. 9. & Nicephorus lib. 12. cap. 13. hunc Canonem tertium a Patribus Constantinopolitanis conditum fuisse testentur. Secundo, observare debes, hunc Canonem tertium, qui Episcopo Constantinopolitano adjudicat secundum in Ecclesia locum, & honoris Primatum post Romanum Pontificem, non fuisse ab Ecclesia Romana receptum, ac probatum usque ad tempora Innocentii III. Pontificis Maximi, qui in Concilio Lateranensi IV. Can. 5. Sedem Constantinopolitanam inter Patriarchicas secundo loco numerat, propriamque ei asserit, ac vindicat secundam a Romana Sede dignitatem.

D. Absolvisti ne Historiam omnium Conciliorum, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuere celebrata?

M. Memini me in superiori Colloquio mentionem fecisse Synodi Capuanæ, quæ anno 389. habita provinciam dedit Theophilo Patriarchæ Alexandrino componendi dissidium, quod erat Flavianum inter & Evagrium, qui simul, durante adhuc Schismate, Antiochenam regebant Ecclesiam. In hac etiam Synodo Capuana damnatus est Bonosus Sardicenis Episcopus, qui duos in Christo filios admittebat, æternum unum & temporalem alterum. Asserebat insuper, Deiparam Virginem alios post partum Christi ex carnali Josephi congressu suscepisse liberos. Hos Bonosus damnavit quoque Siricius Papa, ut constat ex ejus Epistola ad Anysium & cæteros Episcopos per Illyricum constitutos. Quin & Marius Mercator in Appendice ad contradictionem XII. anathematismi Nestoriani asserit, Bonosum fuisse a Damaso Papa prædamnatum. Denique, in Synodo Capuana prohibentur omnes rebaptizationes, reordinationes, & Episcoporum translationes. Consulto hic prætermitto Concilia, quæ contra Donatistas, Priscillianistas, & Messalianos in quarto Ecclesiæ sæculo habita sunt, quippe quæ in superiori Colloquio ea indicasse abunde sufficit.

De Epocha Conciliorum Gangrensis, & Laodiceni, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, nihil certi statui potest. Probabilior mihi videtur conjectura doctissimi Pagii, qui censet Concilium Gangrense fuisse convocatum anno 357. quia est incertum sit, an Osus Cordubensis Episcopus præfuerit huic Concilio, constat tamen illum ei interfuisse. Porro Osus, postquam Ariana Formulæ fidei subscripsisset, in Hispaniam reversus est anno 358. Necessè igitur est hanc Gangrensem Synodum fuisse congregatam ante annum 358. In hac autem Synodo damnatus est Eustathius Sebastenus, qui jam Sede sua

sua Sebastena fuerat depositus in Synodo Cæsariensi ante Gangrensem incerto anno habita, ob multos errores, quos contra matrimonium, contra indicta Ecclesiæ jejunia, esumque carnum, contra cultum Martyrum, & contra alia dogmata, & Ecclesiæ leges temere spargebat. Testatur etiam S. Epiphanius in Hæresim Arianorum, & S. Basilius Epist. LXXIV. Eustathium Sebastenum in Ariana Hæresis defensione ad obitum usque obstinato animo perseverasse. Viginti Canones præscripsit Synodus Gangrensis, quos universa approbavit, & recepit Ecclesia.

Quantum attinet ad Concilii Laodicæni Epocham, certum est istud Concilium habitum fuisse post Synodum Generalem Nicænam, quidquid contra sentiat Card. Baronius. Primo, quia Canone septimo Concilii Laodicæni damnantur Hæretici Photiniani, qui aliquot annis post Nicænam Synodum emerferunt. Secundo, quia Laodicæna Synodus in antiqua Conciliorum collectione locum suum obtinet post Synodum Antiochenam coactam anno 341. Cl. Pagius ad annum 314. conjicit Concilium Laodicænum habitum fuisse anno Christi 363. Sed doctissimus Petrus de Marca lib. 3. de concordia Sacerdotii & Imperii Epocham Concilii Laodicæni retrahit ad annum 365. Hæc autem Laodicæna Synodus non Laodicæ in Syria, sed Laodicæ in Lydia, seu Phrygia, & quidem Pacatiana, sub qua Lydia, ut præferunt Canones Laodicæni apud Balsamonem, celebrata fuit, condiditque sexaginta Canones, qui ad componendos Christianorum mores, & sancendam disciplinam Ecclesiæ apprime utiles sunt, & ab Ecclesia Catholica recepti. Ultimus illius Concilii Canon continet Indicem librorum sacrorum cum veteris, tum novi Testamenti. His Conciliis in quarto Ecclesiæ sæculo habitis addenda sunt quatuor Africanæ Ecclesiæ Concilia, videlicet Carthaginense primum anno 348. agente & Præside Grato illius Urbis Episcopo, & in eo ad restaurandam disciplinam Ecclesiæ diro Donatistarum Schismate labefactam conditi sunt quatuordecim Canones. Alterum Concilium Carthaginense inductum est sub Gemello hujus Urbis Episcopo anno 390. & in eo tredecim conditi sunt Canones. Concilium Carthaginense tertium sub Aurelio Carthaginensi Episcopo congregatum est anno 397. & in eo quinquaginta Canonibus sancita est disciplina Ecclesiastica (a). Concilium Carthaginense quartum, cui interfuit S. Augustinus, & præfuit Aurelius Carthaginensis Episcopus, celebratum est anno 398. & in eo quatuor supra centum Canones pro sacrarum Ordinationum ritibus, pro moribus, & vita Episcoporum, Presbyterorum & Clericorum, pro Pœnitentiæ disciplina, pro Catechumenis, pro Viduis & Sanctimonialibus conditi sunt sanctissimi Canones. Card. Baronius existimavit, Concilium Taurinense, in quo contentio inter Arelatensem, & Viennensem Episcopos de Primatu exorta fiduciario decreto sedata est, celebratum fuisse anno 397. quod tamen juxta Cl. Pagium fuit dumtaxat celebratum anno 401. Quapropter, de hoc Taurinensi Con-

cilio opportunius agemus in Historia Conciliorum quinti Ecclesiæ sæculi. Concilii Toletani primi Epocha ab anno 400. removenda non est, ut diserte ostendit Pagius in sua Critica ad annum 405. In hoc Concilio Toletano 1. *Symbosius*, & *Discimus* Episcopi Priscillianam Hæresim, qua antea erant infecti, ejurarunt; & ideo hujus Concilii indulgentia in Sede sua relictæ sunt, suspensa tamen communione, prius eis non imperianda, quam in Romani, & in Mediolanensis Antistitem communionem recepti per illorum litteras probarentur. In hoc etiam Concilio Toletano 1. conditi sunt viginti Canones pro disciplina Ecclesiastica, sed regula fidei, quæ Canonibus subicitur, condita est in alia Synodo incerto loco celebrata tempore Leonis Magni Papæ, & relictæ postea est in Synodo Bracarensi prima, sicut observat Pagius loco mox a me laudato.

(a) Concilium Carthaginense anni 397. huc usque intricatum fuit adeo, ut ad illud explicandum nemo pertigerit. Ballerini fratres in dissert. prævia ad tom. 3. S. Leonis eam provinciam non ante multos annos aggressi sunt opera non infelici. Igitur Ferrando, Concilio sub Bonifacio an. 525. habito, & aliis adjumentis rem aggressi repperunt, breviarium Canonum ab Hipponensi Concilio editorum in ea Synodo lectum & confirmatum fuisse. Sunt autem Canones XXXIX. Præcedit breviarium recitatio symboli Nicæni, sicut & ea omnia, quæ leguntur in Codice Ecclesiæ Africanæ, post Canonem XXXIV. & incipiunt *Cæsareo*, & *Attico &c.* usque ad illa verba: *singula a vestra caritate considerentur*; post quæ dantur litteræ Aurelii & Mizonii.

COLLOQUIUM IV.

De Viris Illustribus, seu de Scriptoribus, qui doctrina, vitæque sanctimonia quantum Ecclesiæ seculum illustrarunt.

D. CUM Christiana Religio in quarto Ecclesiæ sæculo ubique floruerit, nullus dubito quin ea ætas illustrium Virorum, & Scriptorum doctrina & sanctitatis fama inclytorum feracissima fuerit. Quapropter, rem longe mihi gratissimam feceris, si celebriorum Scriptorum, qui in quarto Ecclesiæ sæculo floruerunt, vitam compendiosè describere, eorumque genuina opera ab adulterinis secernere velis.

M. Certum est, in quarto, sicut & in sequenti Ecclesiæ sæculo, longe plures, quam in aliis ætatibus, viros sanctitate conspicuos, & illustres prodidisse Scriptores, qui doctrinam Catholicæ Ecclesiæ adversus fidei hostes invicto robore propugnarunt, necnon sanctissimas purioris Ethicæ Christianæ regulas nobis in suis doctissimis Operibus scriptas reliquerunt. Ex his aliquos seligam, quos suis nativis depingam coloribus, eorum-

rumque sincera Opera ab his, quæ vel dubia, vel supposititia sunt, accurate fecernam.

In primis, juxta ordinem temporum, agmen Ecclesiasticorum quarti sæculi Scriptorum ducere debet Eusebius *Pamphili* cognomentum sortitus ob initam cum Pamphilo Martyre singularem amicitiam. Fuit autem Eusebius Cæsareæ in Palæstina Metropolitanus Episcopus, vir longe doctissimus, Chronographorum Ecclesiasticorum facile Princeps, & in sæcularium disciplinarum peritia, omnique Historiarum genere exercitissimus, cujus erudito nomini etiamnum venerabundus assurgit, fascesque submittit univèrsus Orbis literarius. Scripsit Eusebius *Chronicon* a creatione Mundi usque ad Constantini Imperatoris annum vigesimum, quod S. Hieronymus latine reddidit, & ab anno 326. usque ad annum 379. continuavit. Adversus Philosophos Christianæ Religionis veritatem acerrime quoque Eusebius tuitus est quindecim aureis suis libris *de Preparatione Evangelica*, & in eundem finem viginti elaboravit libros *de Demonstratione Evangelica*, tot enim olim *Demonstrationis Evangelicæ* libros fuisse testatur S. Hieronymus in Cat. Script. Eccl. & Photius in Bibliotheca, sed hodie decem dumtaxat libri supersunt. Edidit præterea Eusebius libros decem *de Historia Ecclesiastica*, quam a Christo nato auspicatur, & per Tyrannorum tempora usque ad Concilium Generale Nicænum primum accurate progressus omnia Ecclesiastica antiquitatis monumenta complexus est. Extant adhuc quatuor libri, quos scripsit Eusebius *de vita Constantini Imperatoris*, in quibus potius est Encomiasta, quam Historicus. Composuit etiam librum *de Martyribus, Cyclosum Paschalem*, & librum contra *Hieroclem*, qui Apollonium Thyazum magnum sacrilega comparatione Christo Servatori nostro æquaverat. *Apologiam* Origenis quinque libris comprehensam una cum Pamphilo Martyre concinnavit Eusebius, quibus post mortem illius Martyris sextum addidit librum. Denique, Eusebius, præter alia Opera cum Theologica, tum Critica, quæ nobis fatum invidit, scripsit quinque libros, qui hodie persunt, contra *Marcellum Ancyranum*, & *Commentarium in Psalmos*, quem doctissimus Pater *Bernardus de Montfaucon* publica luce donavit. At proh dolor! Eusebius, cujus indefesso studio, vixque satis æstimandis laboribus posteritati consecrata est bona Historia Ecclesiastica pars, Eusebius, inquam, quem Constantinus Imperator ob recusatum Episcopatum Antiochenum hoc Elogio celebravit: *Felicem Eusebium, qui non unius Urbis, sed prope totius Orbis Episcopatu dignus esset*; ille tamen Eusebius in luto Arianae Hæreseos hæsit, Episcopis Arianae in depositione Eustathii Episcopi Antiocheni, & Athanasii Patriarchæ Alexandrini impensissime favit, totque pestiferæ Arii doctrinæ in suis Operibus vestigia reliquit, ut hi, qui illum ab hac Hæresi vindicandum susceperunt, oleum & operam perdidisse videantur. Mortuus est Eusebius anno Christi 340. & in aliquibus Martyrologiis, quæ laudat

doctissimus *Valesius* initio Historiæ Ecclesiasticæ Eusebianæ, legitur XXI. Mensis Junii nomen *Eusebii Cæsareæ in Palæstina Episcopi*. Sed eruditus *Florentinus* hæc Martyrologia ab interpolatione egregie vindicat, pluribusque *exercitatione secunda* Martyrologio Hieronymiano præfixa evincit, Eusebium Cæsareæ in Palæstina Episcopum in Martyrologiis locum habere non posse. Crediderim ipse, quod cum plures Urbes distæ sint *Cæsareæ*, Eusebius ille, qui in quibusdam Martyrologiis memoratur die XX. Junii, alium non esse, quam Eusebium Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, Sancti Basilii immediatum decessorem. In veteri quippe Martyrologio MS. Hieronymiano, quod passim viri eruditi *Cyberjense* appellant, ad diem XXI. Junii legitur: *Cæsareæ Cappadociae Eusebii Episcopi*. Cardinalis Baronius existimat, pro *Eusebio Samosatensi* infelicitate mutatione positum esse in quibusdam Martyrologiis *Eusebium Cæsariensem*. Verum, hanc Baroni coniecturam refellit mox laudatus *Florentinus* in Notis ad Martyrologium Hieronymianum die XXI. Junii, quia Eusebius Samosatensis, non *Cæsareæ*, sed *Dolichæ*, quæ Urbs Syriæ est ad Euphratem, martyrii palmam promeruit, teste Theodoro lib. 5. Hist. Eccl. cap. 4. vel in propria Samosatæ Urbis ad Euphratem positæ venerationem, & cultum recepit. Cum autem nimis distet *Cæsareæ* nomen a *Dolichæ*, vel *Samosatæ* appellatione, verosimile non est, in quibusdam Martyrologiis loco Eusebii Samosatensis positum fuisse Eusebium Cæsariensem.

Eusebio Cæsariensi longe dissimilis fuit S. Eustathius, qui Beroæ in Syria primum Episcopus, dein evectus est ad Antiochenam Ecclesiæ Sedem. Ille quippe præclarus fuit Fidei Nicænae defensor, cujus in odium, calumnias, depositionem & exilium ab Arianae passus est, & sanctissime in exilio obiit. Ejus Corpus Antiochiam postea relatum est sub Zenone Imperatore, & ipse locum in sacris Diptychis promeruit. Homilias, Epistolas, Commentaria in Psalmos, multaque adversus Arianos Opera scripsit Eustathius, quorum dumtaxat Fragmenta quadam nobis in suis Dialogis conservavit Theodoretus. Tractatum etiam edidit *de Pybonissa*, quam consuluit *Saul Rex*; quem Tractatum Græce, & Latine edidit *Leo Allatius* in syntagmate *de Engastrimo*. At Commentarium in Hexameron, sive *de Opere sex dierum*, quem *Leo Allatius* sub S. Eustathii nomine publica luce donavit, non esse genuinum Sancti illius Antistitis factum probant styli dissimilitudo, & veterum Patrum, & præsertim S. Hieronymi in Catalogo Scriptorum Eccl. silentium. Quo fit, ut merito hic Commentarius a viris eruditis S. Eustathio abjudicetur.

In oppugnanda Ariana Hæresi strenue etiam adlaboravit *Alexander Patriarcha Alexandrinus*, cujus duas Epistolas contra Ariam scriptas referunt Scriptores Ecclesiastici. Reperitur etiam in postrema, & castigatissima Editione Operum Sancti Athanasii, quam doctissimus *Bernardus de Montfaucon* adornavit, sententia, quam Sanctus

„ ille Antistes adversus hunc Hæresiarum tulit in Synodo Alexandrina (a). Principatum Sedis Alexandrinæ anno 313. suscepit Alexander, qui eodem anno advertit rem singulari observatione dignam, quam hic prætermittere haud possum. Vidit *Alexander* Pueros, qui in littore Maris ludentes, sacros Ecclesiæ ritus exprimebant, quos inter erat Athanasius, qui Præsulem agebat, aliosque baptizabat. Hunc ad se adductum postquam interrogasset, ejusque mentem sedulo explorasset, Baptisma ab ipso collatum ratum, ac validum habuit. Non me fugit, multos esse Criticos disciplinæ peritos, qui hanc Historiam in dubium revocant eo solo nomine, quod Athanasius exeunte mense Decembri anni 326. Episcopus Alexandrinus ordinatus est; unde, si tempore Ordinationis suæ annum circiter tricesimum attigerat, necesse est ut anno 313. quo hæc Historia contigitur dicitur, Athanasius jam decimum septimum ætatis suæ annum ageret, quo certe anno Athanasium impuberem fuisse, & cum Pueris luisse verosimile non videtur. Ast, hæc Criticorum ratio falsa suppositione nititur. Athanasius siquidem non anno ætatis suæ tricesimo, sed anno vicesimo sexto ordinatus est Episcopus Alexandrinus anno 326. ac subinde anno 313. Athanasio adhuc *impuberi*, ut loquitur *Sozomenus*, *istud accidit*. Anno siquidem trecentesimo decimo tertio Athanasius annum circiter decimum tertium agebat. Quod licet probari non possit ex anno, quo in lucem prodit Athanasius, cum de Natalitio illius anno altum sit ubique silentium; attamen facile colligitur ex annis quos natus erat, quando Episcopus Alexandrinus creatus est. Discimus enim ex Ammone in Epistola ad Theophilum Alexandrinum relata a Papebrochio die XIX. mensis Maji S. Pachomio sacra, nonnullos fuisse improbos, qui Athanasii ad Ecclesiæ Alexandrinæ Thronum evecti nimiam juventutem causantes, Ecclesiam in factiones scindere conati sunt. Porro, si S. Athanasius annum ætatis suæ tricesimum attigisset, quando Episcopus Alexandrinus est ordinatus, non potuissent ejus adversarii nimiam ejus juventutem causari, nec ejus electionem veluti non rite factam calumniari. Vero igitur quam simillimum videtur, Athanasium non anno ætatis suæ tricesimo, sed anno circiter vicesimo sexto fuisse ordinatum Episcopum Alexandrinum anno Christi 326. quo posito, optime sibi coheret hæc Historia, quam Scriptores Ecclesiastici *Rufinus* lib. 10. cap. 14. *Socrates* lib. 1. c. 15. *Sozomenus* lib. 2. cap. 17. & *Nicephorus* lib. 8. cap. 44. Athanasio anno 313. ætatis suæ annum circiter decimum tertium agenti contigit referunt. Nec enim adduci possum ut credam, tot Scriptores simul conspirasse, ut de Athanasio, qui fuit postea acerrimus fidei Nicænae defensor, fabulam toti Orbi venditarent.

„ (a) Prætereundum non duxi exitisse olim „ epistolas Alexandri septuaginta ad varios, præsertim *Macarium* Jerosolymitanum, *Eusebium* Cæsariensem, *Arselapium* Gazæum, *Macarium* Jamniensem, *Zenonem* Tyrium, *Philogonum* Antiochenum, *Eustathium* Berhoensem, quæ

„ omnes ejusdem erant argumenti ac epistola ad „ Alexandrum Constantinopolitanum, de qua re „ Theodoretus lib. 1. Hist. cap. 4.

D. S. Athanasium fidei Nicænae defensorem, & Ariatorum flagellum fuisse probe scio, sed quas ab Arianae calumnias passus fuerit, quotve contra ipsos scripserit libros, plane ignoro.

M. Ariani cum Meletianis conjurati, ut Sanctum Athanasium, qui Concilio Nicæno Alexandrinæ adhuc Ecclesiæ Diaconus interfuerat, peritus opprimere possent, Superos & Acheronta moverunt, nihilque, ut Constantinum Imperatorem ei redderent infensum, intentatum reliquerunt. In primis, accusarunt Athanasium, quod novum tributum Ægyptiis de pendendis Ecclesiæ linteaminihus indixisset, quam accusationem oppido falsam esse agnovit Constantinus Imperator. Non quieverunt tamen Ariani, sed novam calumniam struxerunt, perduellionis videlicet, & læsæ Majestatis scelus Athanasio impingentes. Sed frustra, quia Constantinus, hac accusatione accurate discussa, Athanasium innocentem pronuntiavit, eumque cum honorificis ad Clerum, Populumque Alexandrinum de comperta illius innocentia litteris remisit ad regendam suam Ecclesiam. Dilutis hujusmodi calumniis, Athanasium tribus aliis proinde falsis criminibus exagitarunt Ariani; quod videlicet occidisset *Arsenium* Hypselitarum Episcopum, cujus etiam manum ostentabant; quod insuper rem habuisset cum Meretrice; & quod denique per *Macarium* Presbyterum suum fregisset Calicem in Ecclesia *Ischyre* Presbyteri Mareotidis. Hæc tria crimina sibi objecta S. Athanasius in Pseudo-Synodo Tyria a se tam evidenter amoluitus est, ut calumniatores summo pudore suffundi debuissent, nisi frontem perficulisissent. *Arsenii* quippe eadem fictitia esse ostendit Athanasius, vivum coram tota Synodo Arsenium inducendo, qui probe ab omnibus cognitus fabulam cum suis manibus manifestam fecit. Meretricem, quæ sibi ab Athanasio pudorem ereptum querebatur, falsi convicit Athanasius per *Timotheum* Presbyterum suum, qui data opera fingens se Athanasium esse, & a Meretrice ereptæ sibi virginittatis petulantius accusatus, calumniam accusantis & accusati innocentiam patefecit. (Hanc tamen Meretricis Historiam suspectam habet, ac fingentis magis artificium, quam rem vere gestam olere censet *Bernardus de Montfaucon*). Restabat Calix effractus, cujus auctor dicebatur *Macarius*, jubente tamen Athanasio. De cujus facti veritate cum primum esset Episcopis pronunciare, maxime cum *Ischyra* hujus calumniæ auctor conscientiæ stimulis actus, & amicorum suasionibus impulsus veniam a S. Athanasio, antequam ageretur Synodus Tyria, supplicem jam petiisset; suam tamen sententiam suspenderunt iniqui Iudices, ac sex Episcopi Arianos, & conjuratos Athanasii hostes in Mareotem Regionem cum inquirendi potestate delegarunt. Sed hic prætermittere haud possum rem sane memorabilem, quæ in hac Pseudo-Synodo Tyria contigit, & quam refert S. Epiphanius Hæresi 69. Ad hanc quippe Synodum cum venisset *Potamon* Hæraclæ in Ægy-

Egypto Episcopus, & cui tempore persecutionis Maximiani pro fide Christi oculus fuerat exculpus, cumque Episcopum Cæsariensem inter Iudices Athanasii esset conspicatus, his verbis collacrymans & dolens eum affatus est: *Te ne, inquit, Eusebi sedere, & insontem Athanasium te Iudicem ferre? Quis isthæc toleret? Dic, sodes, nonne mecum Tyrannorum tempore in custodia fuisti? Atque ego quidem oculo sum pro veritate multatus, tu nulla corporis parte mutilatus es, neque in fidei testimonium aliquid passus, sed incolumis, integerque ades. Quanam ratione ex custodia elapsus es, nisi quia pollicitus es te nefarium aliquid admissurum, vel fortassis admisti?* Hinc facile conjectari potest, quale iudicium Athanasius ab Eusebio Cæsariensi, & ab aliis ejusdem farinae Episcopis expectare deberet. Quam ob rem, S. Athanasius omnem Judiciorum ordinem perturbari cernens, seque inter hostes minime securum conspicens, relicta Synodo fugit ad Constantinum Imperatorem, de vi sibi ab Arianis illata conquesturus; quem interim absentem indicta causa damnarunt Ariani, & Episcopatu exuerunt. Constantinopoli coram Imperatore suam causam strenue egit Athanasius, & ab ipso obtinuit, ut Constantinopolim vocarentur Episcopi, qui eum Tyri damnaverant, & Hierosolymam pro Encæniis Ecclesie conveniant. Sex Episcopi Ariani reliquis impudentiores, duo videlicet Eusebius, Nicomedienensis, & Cæsariensis, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Valens Mursiensis, Ursacius Singidonius Constantinopolim profecti sunt, ubi, omisso Calice fracto, novam calumniam compegerunt, disidentes, Athanasium minatum esse, se impediturum quominus ex Egypto, ut moris erat, quotannis frumentum Constantinopolim mitteretur, earumque minarum prodixerunt conductos a se testes. Quo factum est, ut Constantinus iratus Trevis Athanasium exulem ire iusserit anno 336. Permirum forte tibi videbitur, quod tanta pietate, & æquitate Princeps eo maledicorum calumniis adductus fuerit, ut ne quidem expectata defensione insontem Athanasium pelleret in exilium. Sed profecto mirari defines, si semel perspectas habeas artes Eusebii Nicomedienensis, qui totus dolis confusus ita Imperatoris animum criminis opportunitate occupavit, ut perquam difficilis aditus veritati relinqueretur. Quod sane haud raro in Aulis Principum contingere experientia evincit. Mortuo Constantino, Athanasius a tribus Cæsariibus Constantinii filiis ab exilio revocatus, ingenti gaudio & solemnî pompa a Clero populoque Alexandrino exceptus est anno 338. Sed cum ejus reditum ægre admodum ferrent Ariani, Concilium Antiochiæ anno 341. habuerunt, in quo Athanasium Sede Alexandrina dejecerunt, & in ejus locum intruserunt Gregorium Cappadocem Arianum. Athanasius ad Julium Romanum Pontificem appellavit, suæque saluti fuga consulens, ad Sedem Apostolicam, velut ad asyllum, portumque tutissimum confugit. Romæ a Julio Papa summa cum benevolentia exceptus est Athanasius, & in Synodo hac in Urbe celebrata absolutus est. Rursum causa Athanasii in Concilio Generali Sardi-

centi agitata est, & ipse innocens declaratus. Quo circa anno 349. Constantinus Imperator, quamvis intus & in cute Arianus esset, ad petitionem tamen fratris sui Constantis Imperatoris, tribus ad Athanasium datis Epistolis, illum Alexandriam revocavit, sicque Athanasius Sedem suam, mortuo jam Gregorio ejus invasore, recuperavit. At sequenti anno 350. e vivis sublato Constante Imperatore, qui Catholicis impense favebat, Arianis apud Constantium Imperatorem novis artibus & calumniis Athanasium opprimere pro viribus tentarunt, & ab ipso tandem impetrarunt, ut ab Alexandrina Sede expelleretur. Quam persecutionem subodoratus Athanasius Alexandriæ aliquandiu delituit, & postea die nona mensis Februarii anni 356. fugiens secessit in Eremum, ubi cum Sanctis Monachis vitam degit, eorumque colloquiis ærunas suas, ac mœrorem demulsit. Athanasium post hanc fugam, quamdiu Constantius vixit, Alexandriam non rediisse, communis est Scriptorum opinio, sed viri doctissimi Pagius, & Montfaucon ex Epistola Sancti Athanasii ad Orthodoxos scripta anno 356. colligunt, Sanctum Antistitem e solitudine, in quam sese receperat, rediisse Alexandriam tempore Quadragesimæ, eumque, quando Georgius Arianus Alexandrinæ Sedis invalor, & profligatis moribus homo adventavit, latuisse Alexandriæ in quadam Ecclesia, sed ne ab Arianis interceptus de medio tolleretur, in fugam iterum se dedisse, & in solitudinem contulisse. Mortuo Constantio, & publico Edicto concessa ab Imperatore Juliano Episcopis exulibus redeundi licentia, Sanctus Athanasius Alexandriam reversus est anno 362. postquam Georgius ab Arianis in Sedem Alexandrinam intrusus in seditione populari fuisset occisus, a plebe membratim disceptus, ejusque cadaver contumeliose tractum, flammisque absumptum est. Sed Ariani in calumniis, & conspitationibus adornandis pervigiles, haud multo interposito spatio apud Julianum Imperatorem effecerunt, ut Athanasius penitus exterminaretur, qui tamen ad necem quaesitus insequentes se callide elusit, & in Thebaidis solitudine latuit, donec ad Imperium, mortuo Juliano, erectus fuerit Jovianus optimus Princeps, qui Athanasium Sedi suæ restitutum, tanquam constantissimum fidei assertorem plurimum coluit, non aliam ab eo quam Nicænam fidei regulam accepit, nec unquam permisit religiosissimus ille Imperator, ut Ariani negotium facerent Athanasio, illumque e Sede Alexandrina exturbarent. Sed breve, heu nimium! fuit Joviani Imperium. Valens, qui ei successit, ab Eudoxio Episcopo Arianis baptizatus edixit, ut omnes Episcopi, qui imperante Constantio, depositi fuerant, suis e Sedibus pellerentur. Quam persecutionem Sanctus Athanasius in paterno sepulchro delitescens evasit. Tandem ab eodem Valente Imperatore anno 367. revocatus, per sex annos in tranquillitate vixit, & variis pro Christi Ecclesia laboribus perfunctus, multis per quadraginta annos tempestatibus actus, obiit, ut probabilis censent viri eruditi Pagius, & de Montfaucon sexto nonas mensis Maji anni 373. Valentiniano Aug. IV. & Valente Aug. IV.

IV. Cofs. postquam Alexandrinam Ecclesiam summa vigilantia 46. annis administrasset, cujus laudes Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione singulari, quæ inter editas est XXI. prosecutus est.

Habes compendiose descriptas omnes calamitates, & persecutiones, quas S. Athanasius passus est ab Arianis, quorum ipse unus pene omnium impetum excepit, unus innumeros profligavit. Si autem plura scire desideres, legis vitam S. Athanasii a Cl. viro Godefrido Hermantio anno 1671. gallico idiomate editam, & omnium sermone celebratam. Legis etiam vitam S. Athanasii, quam in fronte postremæ editionis illius Operum præfixit doctissimus P. de Montfaucon.

Bene multa Opera composuit Sanctus Athanasius, quæ sive edita, sive hæctenus inedita, extant in postrema & accuratissima illius Operum editione a laudato P. de Montfaucon adornata.

Opera Sancti Athanasii supposititia sunt: *Disputatio contra Arium in Synodo Nicæna. Homilia de Sanctissima Dei-para Virgine. Dialogi quinque de Trinitate. Tractatus de definitionibus. Dialogus inter Orthodoxos, & Macedonianum continens 20. Capitula. Quaestiones 135. ad Antiochum. Dicta, & Interpretationes Parabolarum Evangelii. Quaestiones 133. Quaestiones alie 20. Disputationes cum Ario Laodiceæ habitæ. De unita Deitate Trinitatis ad Theophilum libri 7. Ad Monachos exhortatio. Epistola ad Marcum Papam cum rescripto Marci. De Passione Imaginis D. N. J. Crucifixæ in Beryto. Declaratio Levitici. Homilia septem ab Holstenio Latine editæ. Expositiones undecim de Incarnatione Verbi. Sanctæ Synæceticæ Virginis Alexandrinæ Vita. Refutatio Hypocritæ Meletii, Eusebii, & Pauli Samosatani. Historia de Melchisedeobo.*

Opera Sancti Athanasii dubia sunt: *Synopsis Scripturæ Sacræ. Testimonia ex Sacra Scriptura de communi essentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Sermo in Passionem, & Crucem Domini. Symbolum, quod sic incipit: Quicumque vult salvus esse &c. Expositio Fidei.*

Opera denique Sancti Athanasii, quæ amplius non extant, sunt: *Commentarii in Ecclesiasten. Commentarii in Cantica Canticorum. Contra Valentem, & Ursacium liber 1. Variæ Epistolæ, præsertim Festales, aliaque Opera, quorum jacturam merito luget doctissimus P. Montfaucon in Præfatione postremæ editionis Operum S. Athanasii (a).*

„ (a) Non ante multos hosce annos nempe „ an. 1746. Romæ prodiit in lucem *Interpretatio*, „ seu potius *Metaphrasis in Psalmos vel in titulos* „ *psalmodum* S. Athanasii nomine inscripta cum „ latina versione Viri clarissimi Nicolai Antonelli, „ cujus nunc meritum & doctrina Romanam „ Cardinalitiam purpuram exornans, amplissimæ „ dignitati decus auget, & splendorem. Alia est „ autem expositio ista ab ea, quæ, Montfauconio „ curante, in ejus editione inter opera S. „ Athanasii jam comparuit, quæque, eodem „ Montfauconio licet reclamante, a Tillemontio „ tamen inter spuria, vel saltem dubia rejicitur.

„ Alia est etiam a Commentario, Athanasii nomine inscripto, quem Bibliotheca Ambrosiana „ Mediolani & Justiniana Venetiis servant, ejusque specimen Em. Antonellus in sua præfatione „ ne ad hanc, de qua agimus, metaphrasim exhibet, & spurium esse Athanasii sœrum ipse „ cum aliis agnoscit. Alia insuper a Commentario in Psalmos ejusdem Athanasii nomine „ præfixo, & Illyrice exarato, cujus pariter specimen dat idem vir Eminentissimus. Hujus „ ergo, de qua loquimur, interpretatio congruente utcumque potest cum opere inter Athanasiana a S. Hieronymo indicato sub titulo *Commentarius in titulos Psalmorum*. Cur vero addiderim *utcumque* in causa est, quia licet interpretatio ista Psalmorum titulos explicet ac „ commentatione illustret, reliquos tamen Psalmorum versiculos omnes metaphrasticè exponit. „ Legi opus istud diligenter, nec aliquid offendi, „ quod Athanasii sinderum sœrum non demonstraret. Probabile est etiam congruere cum titulo „ a S. Hieronymo indicato; licet enim in totum Plasterium excurrit, adhuc tamen interdum in titulis diffusior est, ut in titulo Psalmi „ cxxxix. Quare & meum pariter iudicium pro sinceritate hujus operis accedat iudicio Scotti, „ Holstenii, & Cl. Editoris, qui illi favent, ut „ exhibitis eorum verbis idem Cl. auctor demonstrat.

D. Hæctenus credideram, Symbolum, cujus initium est: *Quicumque vult salvus esse &c.* genuinum esse Sancti Athanasii sœrum, maxime cum istud Symbolum sub nomine Sancti Athanasii in Divinis Officiis recitandum proponat Ecclesia. Rationem igitur scire velim, cur istud Symbolum inter dubia Sancti Athanasii Opera reponas.

M. Hoc Symbolum, quod vulgo dicitur Sancti Athanasii, ideo inter dubia illius Patris Opera reposui, quia omnes ferme hujus temporis periti Critici illud Sancto Athanasio abjudicant. Sed quia nonnulli post Baronium hoc Symbolum S. Athanasio attribuunt, malui inter dubia Sancti Athanasii Opera illud recensere, quam inter supposititia omnino numerare. Præcipuæ autem rationes, quibus moventur eruditi Critici, ut hoc Symbolum abjudicent Sancto Athanasio, sunt istæ. Primo, quia in antiquis, & probatæ fidei Codicibus MSS. pene omnibus Operum Sancti Athanasii hoc Symbolum desideratur, & de eo ne vola quidem, ac vestigium ullum apparet. Secundo, quia stylus, sermonisque contextus nequaquam Græci hominis est, sed latini, quod certe non cadit in Athanasium, qui non nisi imperfecte latinam linguam callere potuit. Tertio, si Symbolum istud revera Athanasii fuisset, omnino procul dubio illud laudasset Cyrillus Alexandrinus, Ephesina Synodus, Sanctus Leo Papa, & Concilium Chalcedonense, dum contra Nestorianam, & Eutyrianam Hæreses loquuntur. Hoc siquidem Symbolum Nestorianorum, & Eutyrianorum errores diserte rejicit. Ex quo etiam evincitur hoc Symbolum a Sancto Athanasio non fuisse editum, cum certissime constet, Nestorianorum,